Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

unde superius dixerat in hoc cognoscimus quia in ipso manemus et ipse in nobis quia de spiritu suo dedit nobis. Ipse ergo significatur ubi legitur deus dilectio est. Deus igitur spiritus sanctus qui procedit ex deo cum datus fuerit homini accendit eum in dilectionem dei et proximi et ipse dilectio est. Non enim habet homo unde deum diligat nisi ex deo. Propter quod paulo post dicit. Nos diligimus quia ipse prior dilexit nos. Apostolus quoque Paulus dilectio inquit dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis;

De excellentia caritatis · que ita ex deo est ut ipsa sit deus.

XVIII. Nullum est isto dei dono excellentius. Solum est quod dividit inter filios regni eterni et filios perditionis eterne. Dantur et alia per spiritum munera, sed sine caritate nichil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique spiritus sanctus ut eum dei et proximi faciat amatorem a sinistra non transfertur ad dexteram. Nec spiritus proprie dicitur donum nisi propter dilectionem quam qui non habuerit si linguis hominum loquatur et angelorum sonans eramentum est et cimbalum tinniens, et si habuerit prophetiam et scierit omnia sacramenta et omnem scientiam et habuerit omnem fidem ita ut montes transferat nichil est, et si distribuerit omnem substantiam suam et si tradiderit corpus suum ut ardeat nichil ei prodest. Quantum ergo bonum est sine quo ad eternam vitam neminem bona tanta perducunt. Ipsa vero dilectio sive caritas nam unius rei est nomen utrumque si habeat eam qui non loquitur linguis nec habet prophetiam nec omnia scit sacramenta omnemque scientiam nec distribuit omnia sua pauperibus vel non habendo quod distribuat vel aliqua necessitate prohibitus nec tradit corpus suum ut ardeat si talis passionis nulla temptatio est perducit ad regnum, ita ut ipsam fidem non faciat utilem nisi caritas. Sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse. Propter quod et apostolus Paulus in Christo inquit Iesu neque circumcisio aliquid valet neque preputium, sed fides que per dilectionem operatur, sic eam discernens ab ea fide qua et demones credunt et contremiscunt. Dilectio igitur que ex deo est et deus est proprie spiritus sanctus est per quem diffunditur in cordibus nostris dei caritas, per quam nos tota inhabitat trinitas. Quocirca rectissime spiritus sanctus cum sit deus vocatur etiam donum dei. Quod donum proprie quid